



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus I. vtrum Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

intelligendos esse solos homines, quia fieri, inquit, non potest, ut Antichristus malitia superet dæmones, cum illi sint ita obstinati in malo, ut nec cōuer-
ti possint, nec bene operari. Antichristus autem fu-
turus sit viator. Quæ ratio (si quid valet) etiam pro-
bat, neque omnes malos homines posse in hoc titu-
lo intelligi, quia etiam damnati homines habēt vo-
luntates obstinatas, sicut dæmones. Ratio ergo inef-
ficax est, quia licet probet ratione status, damnato-
rum statum excedere in malitia statum, & c. cuiusli-
bet viatoris: tamen in intentione, vel multitudine
malitiæ superare interdum potest viator damna-
tum. Et ideo probabile videtur hunc articulum in-
telligi de omnibus malis, etiam cōprehendēdo dæ-
mones præter Luciferum, ut titulus huius articuli,
& præcedentis eodem modo intelligantur: tum et-
iam quia ita D. Tho. innuat in solutionibus argu-
mentorū, ubi dicit Antichristum esse quasi prima-
rium membrum diaboli, & caput aliorum malo-
rum. An verò hoc ita sit, incerta res est. Sed de Anti-
christo integra disputatio tradenda est infra in fine
huius materiæ, ubi de secundo Christi aduentu dis-
putabimus.

Responsio.

Quæri verò hic potest, an Adam possit etiam vo-
cari caput malorum hominum: sed non oportet in
hoc immorari, nō est tamen ita vocandus, quia nec
malitia superat alios, nec ex directa intencione sua a-
lios ad malum inducit, sicut dæmon.

QVÆSTIO IX.

De scientia Christi in communi, in quatuor
articulos diuisa.



Emde considerandum est de scientia Christi.
Circa quam duo consideranda sunt. Primum,
quam scientiam Christus habuerit: secundum,
de vnaquaque scientiarum ipsius.

Circa primum queruntur quatuor.

Primum, utrum Christus habuerit aliquam scientiam præ-
ter diuinam.

Secundo, utrum habuerit scientiam, quam habent Beati
vel comprehensores.

Tertio, utrum habuerit scientiam inditam vel insusam.

Quarto utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Post tractatum de gratia aggreditur D. Th. tracta-
tum de scientia animæ Christi, quem ab hac vsq[ue]
ad qu. 12. persequitur, & in hac quæstione, agere pro-
ponit in communi de hac scientia tamen in discursu
eius tractat quæstionem, an est, de huiusmodi sci-
entia tam in communi quàm in particulari in se-
quentibus verò quæstionibus, de singularum scienti-
arum perfectione disputat.

ARTICVLVS I.

Utum Christus habuerit aliquam scientiam præter
diuinam.

64.
q. d. 14. art. 1.
1 q. 1. art. 1.
9. 10. art. 2.
Op. 3. c.
223.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Chri-
sto non fuerit aliqua scientia præter diuinam.
Ad hoc enim necessaria est scientia, ut per eam a-
liqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam co-
gnoscebat omnia: superfluum igitur fuisset, quod in eo esset a-
lia scientia.

2. Præterea, Lux minor per maiorem offuscatur: Sed omnis
scientia creata comparatur ad scientiam Dei creatam, sicut
lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia sci-
entia, quam diuina.

3. Præterea, Vnio humane nature ad diuinam, facta est in
persona, ut ex supra dictis patet. Ponitur autem in Christo

secundum quosdam quadam scientia vnionis: per quam sci-
licet Christus ea, quæ ad mysterium incarnationis pertinent,
plenius sciuit, quam aliquis alius. Cum ergo vnio personalis
contineat duas naturas, videtur quod in Christo non sunt
duæ scientiæ, sed vna tantum scientia pertinet ad vtramq[ue]
naturam.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in libro de Incarnat.
* Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, sus-
cepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum. Sed ad
sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in Christo fuit
scientia creata.

a. Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, * Fi-
lius Dei humanam naturam integram assumpsit, id est, non
solum corpus, sed etiam animam: non solum sensitiuam, sed
etiam rationalem. Et ideo oportuit, quod haberet scientiam

b. creatam propter tria. Primum quidem propter animæ perfe-
ctionem. Anima enim secundum se considerata est in poten-
tia ad intelligibilia cognoscenda: est enim sicut tabula, in qua
nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intel-
lectum possibilem, in quo est omnia fieri, ut dicitur in tertio de
Anima. * Quod autem est in potentia, est imperfectum, in se re-
ducatur ad actum. Non autem fuit conueniens, quod Filius
Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfe-
ctam, ut potest, qua mediante, totum humanum genus ad per-
fectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quod anima Chri-
sti esset perfecta per aliquam scientiam, qua esset propria per-
fectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam
præter scientiam diuinam, alioquin anima Christi esset im-
perfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cum
qualibet res sit propter suam operationem, ut dicitur in secun-
do de Cael. * frustra haberet Christus animam intellectualem
si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scienti-
am creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet
ad animam humanam naturam, scilicet, illa, per quam natura-
liter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large
accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil
autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam
naturam suscepit, ut supra dictum est. * Et ideo in sexta sy-
nodo damnata est positio negantium in Christo esse duas sci-
entias, vel duas sapientias.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus cognouit omnia
per scientiam diuinam operatione increata, quæ est ipsa Dei
essentia: Deienim intelligere est sua substantia, ut probat
Philosophus 12. Metaphy. Vnde hic actus non potuit esse ani-
mæ humane Christi cum sit alterius nature. Si igitur non fu-
isset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam, ni-
hil cognouisset: & ita fuisset frustra assumpta, cum omnium
sit propter suam operationem.

Ad secundum dicendum, quod si duo lumina accipian-
tur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen
solis offuscatur lumine candele: quorum vtrumque accipitur
in ordine illuminantis. Si verò accipiantur duo lumina, ita
quod maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine il-
luminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed ma-
gis augetur: sicut lumen aeris per lumen solis. Et hoc modo lu-
men scientiæ non offuscatur, sed magis clarescit in anima
Christi per lumen scientiæ diuinæ, quæ est lux vera illuminans
omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicitur
Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod ex parte vnionis ponitur
scientia in Christo, & quantum ad naturam diuinam, &
quantum ad humanam: ita quod propter vnionem, secun-
dum quam est eadem hypostasis Dei & hominis, id quod est
Dei attribuitur homini, & id quod homini, attribuitur Deo,
ut supra dictum est. * Sed ex parte ipsius vnionis non potest
poni in Christo aliqua scientia: nam vnio illa est ad esse per-
sonale, scientia autem non conuenit persone nisi ratione ali-
cuius nature.

COM-

Divus Tho. nomen scientiæ pro nomine cognitionis usurpat, ut ipse in articulo exponit, & generatim agit de cognitione, ut actum primum, & secundum comprehendit: unde cum respondet, in Christo esse scientiam creatam, verumque affirmat, scilicet esse in illo cognitionem creatam, & principia ad illam necessaria. Et ita ex tribus rationibus, quas affert, prima, quæ fundatur in perfectione animæ Christi, generalis est, & verumque probat, scilicet tam actum, quam habitum, seu facultatem intelligendi. Secunda vero tantum procedit de operatione, & consequenter de facultate ad illam necessaria. Tertia autem, quæ in hoc fundatur, quod habitus principiorum est homini naturalis, non tam de actu, vel habitu propriè dicto, quam de ipso naturali lumine intellectus concludit, & ita est tota littera perspicua. Solutiones vero argumentorum faciles sunt, verum difficultas, quæ tangitur in solutione ad primum, in sequenti disputatione tractanda est. De opinione vero, quæ ponebat in Christo specialem scientiam unionis, quam D. Thom. tangit in solutione ad 3. dicemus commodius disputat. 26. super quæst. 10. D. Thomæ.

DISPUTATIO XXIV.

In quatuor Sectiones distributa.

De intellectu creato animæ Christi, & eius actib.

In tribus occurrit hoc loco disputatio, scilicet de intellectu potestate animæ Christi, & de actib. eius, & habitibus in comuni, omnia enim hæc D. Thom. hoc articulo attigit, & supra quæst. 5. ar. 4. quæst. 10. an Verbum assumpsit intellectum, quæ quæstione ibi diximus pertinere ad hunc locum, pro intellectu significat ipsam potentiam intelligendi.

SECTIO I.

An in anima Christi sit intellectus creatus, & quantæ perfectionis sit.

Praeter errorem Apollinaris, & Arii, & aliorum, qui negarunt esse in Christo animam rationalem, non inuenio aliquem posuisse in Christo substantiam animæ rationalem, & negasse potentiam intellectivam, quamquam aliqui voluntatem creatam negasse videantur, de qua eadem ferè est ratio. Sed de eorum sensu, & errore infra q. 18. dicemus.

Dico ergo, de fide certum esse habere animam Christi in intellectu creatum. Probat primum ex Scripturæ testimonijs, & Conciliorum definitionibus, quibus supra probatum est, assumpsisse Verbum mentem, seu animam rationalem, quamquam enim subtilitate metaphysica anima rationalis distingui possit, & præcindi ab intelligendi facultate, tamè communi loquendi modo, prout loquuntur Scripturæ, Concilia, & Sancti, anima rationalis vocatur illa, quæ proxime est apta ad ratiocinandum, atq; adeo, quæ facultatem habet intelligendi. Secundo probatur ex generalibus definitionibus Conciliorum, quæ licet in particulari non loquantur de intellectu, tamen in generali definitione illi comprehendunt, dicit enim Agatho Pap. in epist. Synod. (quæ VI. Synod. act. 4. refertur, & in 8. suscipitur) *Consuemus in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius predicamus, & vnamquamque proprietates naturales habere confitemur: diuinam, omnia quæ diuina, humanam omnia, quæ humana sunt, absque vilo peccato.* Et idem inferius repetit, & refert in eandem sententiam Concilium Chalcedonen. act. 5. dicens, *Christum, Rationalem animam perfectam assumpsisse, (salua* Fr. Suarez, Tom. 1.

A omni eius proprietate, & per omnia nobis similem, abque peccato, & V. Synod. collat. 8. can. 7. ubi eodem modo loquitur. Idem Sophronius in epist. quæ refertur eadem VI. Synodo, act. 11. ubi expresse videtur loqui de intellectu, dicit enim, *Assumpsisse Verbum animam rationalem animab. nostris contribulem, & mentem nostram mentis comparem, & ideo D. Thom. hic dixit in VI. Synodo damnatam esse positionem negantem in Christo duas scientias, vel duas sapientias. Similis denique definitio habetur in Concil. Lateran. sub. Mart. I. can. 9. ubi dicitur, Fuisse proprietates terran. humanitatis in Christo indiminate, & sine deminoratione. Tercio omnia, quibus statim probabimus in Christo fuisse actum intelligendi, hoc a fortiori conueniunt, nam actus præsertim vitalis supponit potentiam. Idem etiam conuincitur illis testimonijs, quibus infra probaturi sumus, in Christo fuisse liberum arbitrium, quo argumento vtitur Damasc. lib. 3. de fid. cap. 14. *Quoniam si hoc inquit, appetitio est cum ratione constituta, & Theologi definiunt liberum arbitrium esse, Facultatem voluntatis, & rationis, ut constat ex 1. 2. quæst. 1. art. 1. Vltimo ratio est quia est euidentis verum hominem necessario habere intellectum creatum, seu proximam intelligendi facultatem, quæ cum substantia animæ rationalis necessario coniuncta est.**

Dices non est tamen euidentis, non posse separari de potentia absoluta. Respondetur tamen. Ex dictis est certum non fuisse separatam, imo & euidentis ferè est, quia assumere animam sine potentia intellectiva, nec dignitatem Verbi Dei decebat, quia illo posito non esset capax in humanitate assumpta visionis diuinæ, nec rationalis cognitionis, sed esset quasi brutum, vnde contra finem incarnationis hoc fuisset, quia tunc nec mereri, nec satisfacere potuisset.

Sed quæres, quantæ perfectionis naturalis fuerit hic Christi intellectus Respondetur, si cum intellectibus angelicis conferatur, non dubium est, quin fuerit inferior illis in naturali perfectione, quia intellectus Christi in naturali perfectione non transcendit speciem humani intellectus, ut probant ferè omnia, quæ in confirmationem positæ assertionis adducta sunt intellectus autem humanus essentialiter est minus perfectus, quam angelicus: si autem intellectibus aliorum hominum comparatur, pendet comparatio ex quæstione physica, an vnus intellectus sit perfectior alio secundum se, quam ego nunc neque tractare, neq; definire intendo. Si tamen cum Caiet. & alijs id affirmetur, sine vilo dubio est consequenter dicendum intellectum Christi esse perfectissimum inter omnes creatos in hominibus, atq;

Adeo superare etiam intellectum Adæ, quem creditur esse inter alios homines optimam animam fuisse sortitum, eo quod fuerit totius nature parès ab ipso Deo solo immediate productus. Quod vero Christus illum superauerit, suaderi potest, tum ex dignitate personæ, tum ex fine altiori, ad quem anima Christi creabatur, & assumebatur. Dico autem, inter intellectus creatos, quia si comparatio fiat cum omnibus intellectibus humanis, qui creati possunt non est necesse, ut intellectus Christi sit omnium possibilium perfectissimus, quia iuxta hanc præsertim sententiam, sicut vna anima, vel vnus intellectus est in sua entitate indiuidua perfectior alio: ita in hac perfectionis inæqualitate, seu varietate potest in infinitum procedi: & ita semper Deus potest facere in hac specie perfectiorem intellectum, in hoc enim nulla potest assignari repugnantia supposita illa sententia, & est maxime consentaneum diuinæ omnipotentiae, ut constare potest ex his, quæ i. p. quæst. 25. de hac materia tractantur. Si autem quis contendat vnum intellectum humanum non esse perfectiorem alio secundum se, cessat hæc quæstio: non est tamen negandū, eo modo, quo experimur vnum hominem excedere alterum in facultate intelligendi.

M m telli-

telligendi, siue id proueniat ex ipsis animabus, siue ex sola corporis dispositione, hoc (inquam) modo Christum superasse reliquos homines propter rationes easdem supra tactas, & quia (vt infra ostendemus) corpus Christi fuit optimè dispositum ad rationalem animam suscipiendam.

SECTIO II.

Utrum fuerit in Christo homine actus intelligendi creatus, & ex quo tempore.

Constat, in Christo esse scientiam increatam, est enim verus, & perfectus Deus, vnde sit per communicationem idiomatum vere dici, hunc hominem omnia scire per increatam scientiam, vt bene **D. Thom.** exponit **D. Thom.** quaestione sequenti, articulo 1. ad 3. nunc vero inquirimus, an in humanitate, & anima, & intellectu creato habuerit actualem scientiam, & quæ illa fuerit.

In quo primus error esse potest negans, Christum per humanitatem aliquid actu cognouisse, & huiusmodi existimant aliqui fuisse Monotelitarum errorem, qui vnâ tantum dicebant esse in Christo operationem, eamque esse diuinam: quod præcipue intelligebant de operatione interna voluntatis, atque adeo intellectus. Sed de hac heresi infra quaest. 19. dicendum est.

Secunda sententia affirmat, Christum per animam suam actu intellexisse, non tamen actu creato, sed ipsa scientia increata vnita intellectui creato Christi ratione actus intelligendi. Hanc sententiam ex parte tenet **Hug. de Sanct. Viç.** opus. de anima Christi, & eius scientia, & lib. 2. de sacrament. p. 6. cap. 1. dico autem, ex parte, quia hic autor quamuis affirmet animam Christi cognouisse per scientiam increatam, non tamen expresse negat esse in illa anima aliquem actum creatum, & in eandem sententiam citat hic **Caletanus Ioan. d. Ripa**, & **Capreolus** in 3. distinct. 14. quaest. 1. articulo 2. argumentis contra 2. concl. & **Gregorius** in 2. d. 7. quaest. 2. refert aliquos ita sensisse de omnibus beatis. Fundamentum in presenti esse potest, quia hoc non implicat contradictionem, & pertinet ad maximam Christi perfectionem, ergo non est illi negandum, præsertim cum **Paul. 1. ad Col. 2.** dicat in Christo esse, *Omnes thesauros sapientiae, & scientiae Dei.* Maior probatur, quia essentia diuina tam vere, ac formaliter est actus intelligendi, sicut est obiectum actu intelligibile, ergo sicut per se ipsam vniri potest in ratione obiecti, seu speciei intelligibilis, ita & in ratione actus. Idem argumentum & difficilius sumitur ex ratione subsistentiae, quia sicut anima formaliter intelligit per actum intelligendi, ita subsistit per actum subsistentiæ: at Verbum, quia est formalis subsistentia, potest per se ipsum vniri, & supplere vicem subsistentiæ creatæ, ergo similiter, &c.

Dico primo. Cerrum de fide est Christum vt hominem per intellectum creatum habuisse actualem scientiam, seu cognitionem. Probatur primo ex scriptura **Ioan. 8.** *Scio, vnde veni, & infra, scio eum, & sermonem eius seruo, sicut ergo obseruat mandata, in quantum homo, ita & sciebat, in quantum homo.* Simile est illud **Ioan. 13.** *Sciens Iesus, quia venit hora eius, Matth. 22.* *Cognita Iesus nequitia eorum, & similia, quæ passim habentur in Euangelio.* Secundo in Scriptura tribuuntur Christo oratio, meritum, & similes actiones, quæ vel sunt actus intellectus, vel voluntatis, quæ supponit actum intellectus eiusdem animæ, cuius est voluntas, quia non excitatur anima ad amandum nisi ea, quæ cognoscit. Tercio confirmatur ex sermone & doctrina Christi, docebat enim, quæ intelligebat (loquebatur enim, vt homo rationalis) sicut ergo docebat, & loquebatur vt homo, ita etiam intelligebat: vnde **Ioan. 1.** *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarra-*

Arauit, & **Ioan. 8.** *Quod vides loquor, & Agatho Pap.* in citata epistola dicit in Christo fuisse locutionem humanam habentem humanas proprietates, quarum vna est, vt ab humana intelligentia procedat. Quocirca definitiones supra adductæ, ad hoc ipsam confirmandum adduci possunt. Vltimo vt possumus ratione, & optima est illa **D. Thom.** quia potentia est propter operationem (frustra enim alium plisset Verbum rationalem animam, & intellectum, nisi illa esset intellectum) quare hoc esset contra finem Incarnationis, & præter dignitatem Verbi incarnati.

Dico secundo. In intellectu Christi fuit actus creatus intelligendi. Hanc etiam conclusionem exillimo de fide certam & definitam in VI. Synod. & aliis Concilijs, quæ definiunt in Christo esse duas operationes, diuinam & humanam: est enim vniuersalis definitio, quæ non minus locum habet in actu intellectus, quam voluntatis. Item ex supradictis generalibus locutionibus, quibus affirmant Concilia fuisse in Christo veramque naturam perfectam cum omnibus proprietatibus. Probatur autem breuiter ex Scriptura, **Mat. 11.** *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, intellectus, scientia, & consiliu;* quod esse intelligendum de omni creatis supra ostendimus ex sanctis, qui magis de actibus, quam de habitibus loquuntur. Item **Luc. 2. Professus** *habebat sapientia, &c.* Nam licet hic locus à multis sanctis exponatur de demonstratione, & ostensione sapientiae (sicut supra diximus agentes de gratia) tamen, sicut ibi diximus hanc ostensionem non esse sine aliquo augmento in ipsis actibus gratiae: ita nec fuisse actibus scientiæ, præsertim quia infra quaest. 12. referemus multos patres, qui locum hunc intelligunt de vero augmento scientiæ creatæ per proprios actus eius. Ac denique ex contextu constat, sicut est sermo de ætate, & gratia hominis, ita & de sapientia hominis, vt expresse docuit **Ambr.** lib. de Incarnatio. Dom. sacrament. cap. 7. Vltima ratio sumpta ex proprietate, & perfectione humanæ naturæ, quæ est in Christo, hoc satis confirmat.

Dico tertio. Anima Christi Domini neque Deum ipsum, neque quidquam aliud formaliter intellexit per ipsam scientiam increatam diuinitatis. Hæc est sententia communis Theologorum **D. Thom.** lib. 2. in 3. quaest. 1. articulo 1. & quaest. 20. de veritate articulo 1. **Calet.** & aliorum Thomistarum. **Capreol.** supra dicta distinct. 14. vbi Bonagente quaest. 1. Marfil quaest. 10. articulo 2. **Gregor.** supra, & colligi potest ex **Agatho.** ne Pap. dict. epist. inde enim probat in Christo non posse vnâ esse operationem vtriusque naturæ, quia impossibile est propriam operationem vnus naturæ fieri operationem alterius. Et in hanc sententiam citat **Augustinum** 5. contra Iulian. vbi nihil inuenio, in lib. tamen de duabus animabus, contra Manichæos c. 10. multa habet, ex quibus illud deduci potest, & **Ambros.** lib. 2. de fide, cap. 4. aperte dicit operationem vnus potestatis non posse esse alterius, Nam vbi est, inquit, substantia diuersa, nequit esse operatio vna. Et ad eundem modum argumentatur **Damasen.** lib. 3. cap. 13. 14. & 15. & **Leo Pap.** Epist. 10. ad Flavian. & 96. ad Leonem Augustinum. Ratio vero peculiaris ex hoc mysterio reddi potest, quia, si scientia increata diuinitatis per se ipsam esset ita vnita intellectui creato animæ Christi, vt redderet illum actu intelligentem, iam esset vnio facta in natura, & esset communis toti Trinitati. Sed hæc ratio non cogit, diceretur enim, hanc vnionem non esse hypostaticam, sed beatificam, & vel esse, vel saltem posse esse communem omnibus beatis, atque adeo non esse substantialem vnionem sed accidentalem, seu potius intelligibilem, sicut multi loquuntur de vnione diuinitatis in ratione speciei intelligibilis. Ratio ergo propria est, quia actus intelligendi intellectus creati essentialiter

dicat duplicem respectum ad intellectum, quem constituit intelligentem, ratione cuius repugnatur actui increato, ut per seipsum constituat talem intellectum actu intelligentem. Primus respectus est actionis: nam quia intelligere est actus vite, oportet, ut sit actio intelligentis, nam actualis vita consistit in actione, ut ex prima parte, seu materia de anima constat. Alius respectus est formæ, est enim intellectio actus formalis intelligentis, cum sit actus secundus, & immanens, & ideo per formalem unionem sui ad intellectum constituit illum intelligentem. Quod duobus modis fieri potest, scilicet, vel per summam identitatem, ut contingit in Deo, qui est ipsum intelligere per essentiam, vel per informationem propriam, ut est in omni intelligentione, quæ ab intellectu distinguitur, quia ergo intellectio increata, nec fieri potest ipse intellectus creatus, neque ab illo effici, neque illum informare, ideo per seipsum non potest constituere illum actu intelligentem.

Et hæc ratio soluit fundamentum secundæ sententiæ, ad priorem enim partem de specie, seu obiecto intelligibili respondet hic Caietan. Speciem esse formam in esse intelligibili, intelligentem vero in esse naturali: essentiam autem divinam posse informare intellectum creatum, ut intelligibile formam, non vero naturalem. Quod si interrogas, cur actus intelligendi creatus magis sit forma naturalis, quam species intelligibilis; Caietan. nullam rationem reddit, sed solum inductione probat intelligentem esse formam naturalem, quia ita reperimus in omnibus intelligentibus creatis, cum tamen eadem fieri possit in speciebus creatis. Quare gratis mihi videtur conficta illa distinctio, ut omnia vix posse intelligi, si de vera forma sit sermo: nam illa, quæ dicitur forma in esse intelligibili, vel formaliter dat aliquid esse reale, vel nullum confert: si hoc posterius dicatur, verè, non est forma realis, cum non habeat realem causalitatem formæ, quæ est dare formaliter aliquid esse reale componendo unum aliquid reale ens. Si autem dicatur prius, fieri non potest, ut essentia divina ita informet intellectum creatum, quia nec potest dare illi esse substantiale, quia intellectus non est capax illius: nec accidentale, cum ipsa formaliter non sit accidens: neque possit alteri ex his modis uniri, quin esset vera forma substantialis, vel accidentalis, atque adeo forma physica, seu naturalis. Et hæc ratio applicari optime potest ad confirmandam conclusionem positam, quia quamvis divina essentia sit formalis intellectio, est tamen intellectio substantialis, cuius non est capax intellectus creatus, qui solum accidentaliter, non substantialiter est intelligens.

Ad exemplum ergo de specie intelligibili respondetur, speciem intelligibilem creatam per se non poni, ut informet, sed ut efficiat, nam per se tantum est quasi semen obiecti, ut suppleat absentiam, vel efficientiam eius: ut enim intellectus intelligat, requirit concursus sui obiecti, qui non est concursus formæ intrinsece informantis, sed efficientis, aut termini specificantis: species vero ponitur, ut suppleat vicem eius, præsertim in ratione principij coefficientis: quod vero in hæreat, convenit speciei accidentali eo quod accidens est, non ex vi concursus necessarii ad intelligentem: essentia ergo divina, cum dicitur per seipsum supplere vicem speciei, non est, quia verè informat, sed solum, quia intus adest intellectui, & cum illo concurrens ad visionem sui, tam in ratione principij efficientis, quam obiecti terminantis illam, ut latius i. part. q. 12.

Ad aliud vero exemplum de substantia, negatur similitudo propter multa. Primo quia subsistere non consistit in actione, quæ sit ab intrinseco principio vite, sicut intelligere, quæ ratio etiam de specie intelligibili dari poterat. Secundo, quia substantia

Fr. Suarez, Tom. 1.

non est vera forma, sed tantum terminus naturæ, ut supra dictum est. Tertio, quia substantia etiam creata est actus substantialis, & ideo suppleri potest per substantiam increatam etiam substantialem: at vero intellectio creata est actus accidentalis, & ideo intellectio substantialis non potest vicem eius subire. Et confirmatur hæc responsio & conclusio, nam si fundamentum illud aliquid valeret, sequeretur, quia essentia divina est formaliter sua misericordia, & iustitia, & aliz perfectiones similes, posse per se ipsam reddere formaliter iustitiam, misericordem, & c. animam humanam, quod est absurdum, alias posset etiam iustificari homo formaliter per ipsam iustitiam increatam Dei, quod est plusquam falsum, ut constat ex doctrina de iustificatione.

Ex quibus exemplis licet intelligere, nullam perfectionem formaliter existentem in Deo, posse per seipsam formaliter communicari, seu uniri creaturæ, præter substantiam, quia omnis alia perfectio, ut est in Deo, pertinet ad ipsius naturæ (ut ita dicam) constitutionem: Deus autem non potest uniri creaturæ in natura, ut supra ostensum est. Ut vero talis perfectio esse potest in creatura, vel est essentialis, ut est perfectio substantiæ, prout de natura dicitur, & ita non potest conferri per ipsam essentiam Dei, quia non potest illa essentialiter constituere essentiam creaturæ: vel est accidentalis, & ita etiam non potest formaliter dari per substantialem perfectionem ipsius diuinitatis propter rationem factam.

Sed quæres primo, quàm sit certa hæc postrema conclusio. Quidam enim eam putant esse de fide & contrariam hæreticam. Alij periculosa, & temerariam sententiâ Ripæ appellant, quia ex illa sequitur, animam Christi comprehendere Deum, quia videret Deum eadem visionem, quæ ipse se videt. Sequitur etiam, animam Christi non indigere lumine creato ad videndum Deum, quod est damnatum in Concilio Viennensi, Clementina. Ad nostrum, de hæreticis. Sequitur denique, animam Christi amare Deum ipso amore increato, quo Deus se amat, & non per charitatem creatam illi infusam, quod supra hæreticum esse diximus. Denique in Concilio Basiliensi. Sess. 22. damnatur hæc propositio Augustini de Roma, Anima Christi clare, ac intus videt Deum sicut Verbum ipsum.

Respondeo, ita asserere animam Christi cognoscere omnia, quæ intelligit, per ipsam increatam scientiam, ut nullum habeat creatum actum intelligendi, est planè hæreticum: tamen, si non negetur habere actus creatos, asserere etiam cognoscere per increatum, non est hæreticum, quia neque conclusio nostra est definita in aliquo Concilio, neque aperte colligitur ex Scriptura, vel ex alijs principijs fidei, neque enim ex contraria sententiâ sequitur aperte comprehensio Dei: dici enim posset, illam scientiam increatam non totaliter uniri intellectui creato, sed iuxta capacitatem eius, & eadem ratione dici posset lumē gloriæ esse necessarium, non ad agendum, sed ad suscipiendam illam visionem, & ut intellectus fiat capax illius. Merito tamè temerarius censendus esset, qui contrariam sententiam vellent defendere, quam Theologi ferè omnes, ut absurdam, & improbabilem reliquerunt, cuique Agatho Papæ & alij Patres citati fere aperte contradicunt, quæ denique licet non aperte repugnet, parum tamen consentanea est principijs fidei.

Quæres secundo, quo tempore incepit anima Christi habere hos actus intelligendi, seu ratione viti? Gnostici quantum ex Irenæo colligitur lib. i. cap. 17. videntur asseruisse, Christum in infantia non habuisse rationis usum. Brentium etiam asseruisse Christum, sicut corpore ita & animo adoleuisse, refert Feuarden in Irenæum li. 2. cap. 49. n. 5. Et ibidem ait, Gallanum in annotat. illius loci Irenæi, asseruisse, Christum more aliorum hominū didicisse. Et alios

M. m. 2

similes

similes hæreticos ibidem refert, quos variis Patrum testimoniis confutat, & ex his, quæ in discursu sequentium questionum dicemus, sufficienter confutabuntur à nobis. Nunc breuiter dico, ex communi doctrina Theologorum in 3. distinct. 14. Christum à primo instanti conceptionis suæ vltim fuisse ratione, & habuisse actus intelligendi. Hæc est aperta sententia August. lib. 2. de peccat. merit. cap. 29. & iuxta illam intelligenda sunt, quæ idem tractauerat, lib. cap. 37. idem docet Ansel. lib. 2. Cur Deus hom. cap. 13. Probat ex illo Ierem. 31. *Mulier circumdabis virum, id est, Virgo Christum, qui vir dicitur, non ætate, sed sapientia: vt ibi Hieronony. & alij Patres exponunt, & eleganter Bernard. homil. 2. in Missus est: deinde ex illo, Ioan. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis, id est, scientiæ, vt August. & alij exponunt sicut ergo à primo instanti conceptionis fuit Vnigenitus à Patre, ita etiam fuit plenus scientiæ, ita enim decebat tantæ personæ dignitatem, vt in simili argumentatur August. 15. de Trinitat. cap. 26. & indicat Cypr. lib. de Cardinalib. Christ. operib. capitul. de Natiuit. Christi. & melius Anselm. lib. 2. Cur Deus ho. cap. 13. Ex quibus confirmatur: nam Verbum in natura nostra, eas tantum imperfectiones assumpsit, quæ ita sunt connaturales naturæ nostræ mortali, vt possent etiam ad nostram redemptionem conducere: at vero carentia actus intelligendi, seu vltus rationis, nihil nobis prodesse poterat, non ergo assumpsit hanc imperfectionem: sed veritas hæc magis ex sequentibus disputationibus constabit, & explicabitur. Sed obici potest contra hoc, illud Isai. 8. *Antequam sciat puer vocare Patrem, &c.* cuius proprius sensus esse videtur, antequam habeat vltum rationis, cui consonat illud Luc. 2. *Proficiebat sapientia.* Respondetur, Hieronymum ita exponere primum locum, *Antequam sciat vocare Patrem*, id est, antequam fiat homo, & habeat Patrem, quem vocare possit. Ambros. vero lib. de incarnat. cap. 7. & August. serm. 32. de tem. exponunt, *Antequam sciat*, id est, antequam propter infantiam possit vocare Patrem. Exponi etiam potest de scientia experimentalis, sicut testimonium Lucæ, de quo quæst. 12.*

SECTIO III.

Verum omnis actus intelligendi animæ Christi fuerit verus, certus, & euidentis.

Nonnulli antiqui hæretici docuerunt, habuisse animam Christi cognitionem creatam admittam ignorantiam, atque adeo ex aliqua parte incertam, & euidentem. Ita sensisse Gnosticos, colligitur ex Iren. 1. contra hæres. cap. 16. de Arianis idem indicat Ambros. 5. lib. de fid. cap. 7. & idem docuit Themistius quidam, à quo Themistiani, vt refert Sophronius in epist. quæ habetur VI. Synod. act. 11. & Liberatus in Breuiario, cap. 19. Idem denique Agnoitæ, vt refert Gregor. li. 2. regist. cap. 42. & Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 5.

Fundamenta horum errorum sunt quædam loca Scripturæ, quæ in sequentibus questionibus à nobis explicanda sunt.

Suppono ergo in intellectu animæ Christi fuisse actus, tum naturales, tum etiam supernaturales. Hoc ex sequentibus questionibus suis constabit, nunc breuiter explicatur, quia in Christo fuit perfecta natura humana cum omnibus suis proprietatibus naturalibus, vt Concilia definiant, ergo habuit suos actus naturales, nam licet hi actus non sint ad modum proprietatum manantium à natura, sed pendere possint ex voluntate operantis, tamen sunt proprietates seu perfectiones maxime consentaneæ ipsi naturæ, quibus privari non debet natura omni ex parte perfecta: quin potius seruato naturali ordine impossibile est, vt homo vtens sensibus non in-

terdum eliciat aliquem actum naturalem intellectus: vnde, vt anima Christi caruisset, vel suspensisset omnem huiusmodi actum, oportuisset præternaturali, & miraculoso modo hoc facere: quod tamen sine fructu, & sine causa fieret, quia neque ad perfectionem eius, neque ad vtilitatem nostram conferbat. Vnde cenſeo hanc partem certam esse de fide eamque colligo ex definitionibus Conciliorum supra citatis, & ex alijs, quibus tradunt esse in Christo duas operationes, & ex modo, quo Scriptura de Christo loquitur, vt de homine sentiente, & intelligente naturali modo.

Alter pars de actu supernaturali, etiam est de fide, quia si de fide certum est in alijs iustis, & beatis esse supernaturalem cognitionem, multo magis de anima Christi, de qua infra ostendemus esse beatam & cognoscere omnia diuina mysteria, quæ non nisi supernaturaliter cognosci possunt.

Dices. Quamuis hæc cognitio alijs sit supernaturalis, tamē animæ Christi erit naturalis propter vnionem. Respondetur, si sit sensus ipsum actum in se esse naturalem, vel animam vnitam non indigere altiori lumine, & auxilio ad illum eliciendum, quam ad alios actus naturales, falsum omnino est: quia sicut vnio non immutat, nec confundit naturas, ita nec proprietates earum, neque ipsa vnio per se formaliter dat vires ad operandum, vt supra disputat. 18. late dictum est: si vero sit sensus, illum actum esse connaturalem animæ vnite, quia ratione vnionis debita est illi tam perfecta cognitio, verum est quidem: non tamen est contra id, quod dicimus, loquimur enim de ipsa actibus secundum se, sicut habere dicitur anima Christi amore Dei naturalis, & supernaturalis, quamuis vtique possit dici aliquo modo connaturalis animæ vnite, & hoc exemplum confirmat positionem factam.

Dico primò. Omnis actus supernaturalis, qui fuit in intellectu animæ Christi, est verus, certus, & euidentis. Hæc conclusio est omnino certa, nam primum de ratione omnis actus intellectualis supernaturalis est, vt sit verus quia cum huiusmodi actus sit ex speciali Dei reuelatione & influxu, non potest non esse verus, quia si falsus esset, eius falsitas in Deum rediret. Quod explicatur, & confirmatur, quia vltis actus est euidentis, vel obscurus, si euidentis, hoc ipso necessario est verus, si obscurus, & supernaturalis, necessario est actus fidei infuse, cui non potest subesse falsum. Denique rationes omnes, quibus hoc solet probari de actu fidei infuse, euidentius procedunt de omni actu supernaturalis cognitionis. Ex his vero plane efficitur, omnem huiusmodi actum debere esse certum, ostensum est enim necessario esse infallibilem, certitudo autem ibi est, vbi non potest esse falsitas. Quod vere etiam euidentis sit, facile declaratur, suppositis ijs, quæ dicta sunt quæst. 7. ostendimus enim ibi nunquam fuisse fidem infusam in anima Christi, quia non fuit capax cognitionis obscuræ, ergo.

Dico secundò. Omnis actus naturalis intellectus Christi fuit etiam verus, certus, & euidentis. Hæc conclusio etiam colligitur ex communi doctrina Theologorum in 3. distinct. 14. & 17. & ex D. Thom. infra, quæstio. 15. artic. 3. & est omnino certa, Scriptura enim sacra ita loquitur de Christo, sicut de homine habente infallibilem auctoritatem, qui in ijs, quæ loquebatur, decipere alios non potuit, & consequenter neque ipse decipi: & in hoc fundatur maxima certitudo nostræ fidei, ergo omne iudicium, quod dicitur fuit in anima Christi, fuit verum, & infallibile atque adeo certum, & euidentis: quia in actibus naturalibus certa veritas, & infallibilitas assensus fundatur in euidentia, nec potest dari actus obscurus omni ex parte, verus, & certus, hoc enim est proprium fidei infuse. Et confirmatur, quia error, seu falsus assensus est magna imperfectio, quæ per se vtilitatem afferre

afferre non posset ad nostram redemptionem, quin potius posset obesse, valde enim imminueret loquē-
tis Christi auctoritatem: ergo nō assumpsit Verbum
talem imperfectionem, neque eius maiestatem, aut
dignitatem decebat, vt illam assumeret. Confirma-
tur tandem, quia omne iudicium, etiam naturale,
quod est in intellectu beati, est verum, & infallibile,
multo ergo magis in intellectu Christi, qui non so-
lum beatus erat, sed etiam Deus.

*In intel-
lectu Chri-
sti nullus
actus opi-
nionis.*
Sequitur primo, non fuisse in intellectu Christi
actum opinionis, vel fidei humane de se fallibilis:
quia his actibus potest subesse falsum, vnde si illos
exerceret, potuisset interdum habere actum falsum.
Item hi actus sunt de se incerti, actus autem incertus
non habuit locum in Christo, vt dictum est, quia in-
certitudo includit dubium, seu formidinem de
veritate iudicij, & ideo, qui assensum incertum ha-
bet, ex vi illius exponit se periculo falsitatis.

Obiectio.
Sequitur secundo, omnem actum intellectus Chri-
sti fuisse aliquo modo actum scientiæ, quia generali
quodam ratione omnis actus evidens, actus scientiæ
dicitur; & propter hanc fortasse causam D. Thom.
hic, & alij Theologi, solum sub nomine scientiæ a-
gunt de cognitione creata intellectus Christi.

*Damasce-
nus.*
Sed contra primo, quia Christus per intellectum
creatum multa ignorauit, ergo eadem ratione po-
tuit in multis errare; quia non est maior ratio dei
ignorantia priuationis, quā praua dispositio. An-
tecedens patet ex Damasc. lib. 3. de fid. cap. 21. dicen-
te, Verbum assumpsisse naturam ignorantem, & Ambros.
2. de fid. videtur tribuere Christo dubitationem ex

Matth. 26.
Augul.
Psalm. 137.
Hebrai.
Gen.
ignorantia profectam propter verba illa Matth. 26.
Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, & idem si-
gnificat Augul. exponens verba illa Plat. 21. Quare
me dereliquisti, &c. Et confirmatur primo, quia opor-
tuit Christum per omnia fratribus assimilari, ad Hebr. 2.
Pro similitudine absq. peccato, ad Hebr. 4. Sed error nō
est peccatum, ergo. Et confirmatur secundo, quia er-
ror intellectus sepe nascitur ex errore in sensu, sed
in sensibus Christi sepe potuit esse deceptio: nam in-
terdum a longe potuit res apparere minor, quam e-
rat, vel aliquid simile.

Respons.
Ad argumentum respondetur in primis, non esse
eandem rationem de ignorantia priuationis, & de er-
rore, quia hæc multo maior imperfectio est, magisq.
cōtraria perfectioni virtutis & infallibili auctori-
tati, quæ in Christo esse debuit. Secundo dicitur, ante-
cedens, proprie & in rigore loquendo, esse falsum,
quia Christi anima nihil eorum nesciuit, quæ in ali-
qua temporis differentia existētiam habitura sunt;
& quamuis demus, ex rebus, quæ in sola diuina po-
tentia continentur, & ab ea fieri possunt, aliquas nō
cognouisse (de quo infra dicitur) tamen illa caren-
tia, seu negatio scientiæ nō potest dici vera ignorā-
tia, quia ignorantia non significat quamcunque ne-
gationem cognitionis, sed priuationem illius scienti-
æ, quæ inesse deberet, iuxta conditionem, vel statu-
m propriæ naturæ, vt nō dicitur homo ignorans,
eo quod careat scientia angelica, cognoscere autem
omnia possibilia fortasse nō pertinet ad statum, vel
conditionem intellectus creati, & ita Christus nihil
eorum nesciuit, seu ignorauit, quæ oportuit scire,
considerata dignitate personæ, conditione naturæ,
& ratione status seu officij, & ita, simpliciter loquē-
do, ignorantiam non habuit, sed plenitudinem sciē-
tiæ, vt dicitur Ioan. 1. Et thesaurus sapientiæ Dei, ad
Coloss. 2. & hoc magis constabit ex quæstionibus
sequentibus. Ad Damascenum ergo respondetur,
sensum eius esse, assumpsisse Christum naturam,
quæ de se ignorans esset, nisi in assumptione ipsa
impleta esset sapientia, vt ipse postea exponit ibi-
dem, & optime, lib. 2. de fide cap. 22. Ambros. vero
non dicit, Christum dubitasse, vel ignorasse: sed
ita se gessisse, ac si dubitaret, vel ignoraret. Et eo-
dem modo potest exponi Augul. quamuis ipse ad

Fr. Suarez, Tom. 1.

dat, Christum ibi locutum esse in persona suorum
membrorum.

Ad primam confirmationem respondetur oportu-
nisse Christum esse similem hominibus peccatori-
bus in naturā passibili, & mortali, & hanc esse Pauli
intentionem: non tamē decessisse illum fieri similem
in culpa, vel in alijs defectibus, quia ita sunt cū cul-
pa coniuncti vt ad medendum illi prodesse nō pos-
sint: & huiusmodi est error, & ideo nullo modo po-
tuit esse, neque expediens, neque decens, vt illum
assumeret: vnde Paulus nunquam dixit oportuisse
vt Christus esset nobis similis in omnibus præter
peccatum: alias etiam in modo natiuitatis, & in a-
lijs rebus omnibus debuisset esse similis: sed prius
dixit debuisset, Per omnia fratribus assimilari, vt mise-
ricors fieret, &c. Itaque in ijs, quæ conferebant ad o-
pus nostræ redemptionis, quo factus est nobis mi-
sericors, oportuit, vt nobis esset similis, in alio verò
loco solum dicit fuisse tentatum per omnia, absq. vilo
peccato.

Ad secundam cōfirmationem respondetur, pri-
mum non recte inferre quia Christus per sapiētiam
intellectus præuenire poterat, & corrigere sensum
ne saltem intellectui deceptionem pareret. Deinde
negatur etiam minor, quia licet deceptio sensus mi-
nor esset imperfectio: potuit tamē Christus Domi-
nus, sua diuina virtute, ita cōfortare sensus, vt sem-
per viderent, seu apprehenderent res, prout veræ
sunt, siue prope essent, siue distantes, & siue hoc, siue
illo modo applicarentur.

Alij addunt etiam per superiorem rationem po-
tuisse præuenire sensus, ne deciperentur. Sed non
placet, quia sola ratio superior non poterat præca-
uere, ne obiectū immutaret sensum modo sibi pro-
portionato. Vnde neque etiam potuit præuenire,
ne sensus sentiret, & apprehenderet, iuxta qualita-
tem speciei ab obiecto receptæ, & ideo quamuis ra-
tio per superiorem scientiam posset præueniri, ne i-
psa sequatur apparentem cognitionem sensus, non
tamen, ne sensus ipse ita i modo apprehendat obie-
ctum, & ideo oportuit hoc fieri alia superiori virtute,
& potestate.

Sed contra secundo, quia Christus Dominus in-
telligebat omnes rationes probabiles omnium opi-
nionum, & credebatur hominibus, qui sibi aliqua nar-
rabant, ergo poterat habere assensus opinionis, & fi-
dei humane, qui sunt incerti. Confirmatur primo,
quia huiusmodi actus sunt cōnaturales homini: Sed
Christus assumpsit naturam cum omnibus proprie-
tatibus, alias neque potuisset per discursum cogno-
scere, quia hic modus est imperfectus. Præsertim,
quia licet ita assentiret, posset vitare periculum fal-
sificationis, ita per superiorem aliquam scientiam diri-
gendo hæc iudicia, vt nunquam nisi in vera materia
verarentur.

Respondetur, Christū euidenter semper cogno-
uisse res omnes, quæ, vel ab hominibus narrari po-
terant, vel rationibus probabilibus confirmari: &
ita nunquā vtcebatur testimonio humano ad assen-
tiendum, sed per suam euidentiam iudicabat de v-
niuersi cuiusque testimonio, per rationes autem pro-
babiles, non iudicabat de veritate, sed tantum de
singularum opinionum probabilitate, de qua eui-
dentiam habere poterat.

Ad confirmationem respondetur, oportuisse qui-
dem, vt intellectus Christi haberet actus sibi con-
naturales, non tamen omnes, præsertim illos, qui
magnam imperfectionem includunt, vt sunt isti ac-
tus obsecuri, & incerti, quia (vt dictum est) ha-
bere hos actus; neque suæ naturæ perfectionem,
neque nobis vtilitatem asferret. Quod ita etiam
declaratur, quia in voluntate nullum actum ha-
buit Christus, qui non sit actus virtutis ipsius vo-
luntatis, ergo neque in intellectu habuit actus, nisi
virtutis intellectualis; fides autem humana & opi-
nio

Mm 3 hio

nio non sunt intellectuales virtutes, & ideo neque A
sancti Angeli, neque beati, huiusmodi actus exer-
cent.

Vnde ad ultimam confirmationem respondetur,
potuisse quidem Christum modo ibi indicato vita-
re omnem assensum falsum, etiam si huiusmodi as-
sensus praeferre vellent: tamen non propter solam
falsitatem vitandam non decuit illos exercere, sed
etiam quia ex vi obiecti formae incerti sunt, & fal-
sitati expositi, & ideo ad perfectionem intellectus
non pertinent. Non deerunt etiam, qui dicant, non
potuisse vilo modo habere hos actus, supposita eui-
denti cognitione, quam de eisdem rebus aliunde
habebar. Sed quam verum hoc sit, alibi est dispu-
tandum.

Dubium.

Sed queres ultimum, an, saltem de potentia ablo-
luta, posset Verbum in humanitate assumere, vel
permittere falsum assensum, vel erronem. Qui-
busdam enim ita videtur, nec sine probabili conie-
ctura: posset enim Verbum assumere humanam na-
turam, nullum donum, vel speciale auxilium intel-
lectus illi praebeo, quo posito ille homo non pos-
set certius, aut verius iudicare de rebus, quam pos-
set purus homo cum eodem ingenio, & eisdem sen-
sibus, ut supra disput. 18. demonstratum est, posset
ergo decipi, sicut purus homo. Primum antecedens
probat, quia illud neque physicam repugnantiam
involuit, neque est contra aliquam moralem virtu-
tem, neque contra sapientiam, aut aliud attributum
ipsius Dei, ut Deus est: sicut ergo non repugnat, Deum
in assumpta natura mori, ita neque errare, neque fal-
sum materialiter proferre, hoc enim nec peccatum
esset, & ideo neque esset contra diuinam bonitatem,
quia Deus non velle tale materiale mendacium, vel
errorem, sed tantum permitteret: neque etiam esset
contra veritatem, vel auctoritatem Dei, quia ille ho-
mo tunc non sentiret, nec loqueretur auctoritate di-
uina, sed humana.

Responsio.

Difficile quidem est, implicationem contradictionis
in hoc ostendere: nihilominus tamen non pos-
sum ita de Christo, seu Deo homine, sentire, ut exi-
stimem potuisse, vel in intellectum eius cadere erro-
rem, vel in sermonem mendacium, etiam mate-
riale, & sine culpa: quae videtur esse sententia Anselmi,
lib. 2. Cur Deus homo, cap. 13. Et potest suaderi
primo, quia licet hoc nude consideratum in ordine
ad solam potentiam quasi physicam non videatur
contradictionem involuere, consideratum tamen
in ordine ad potentiam coniunctam diuinæ sapien-
tiae, & prudentiae, videtur sanè repugnare. Quia ad
prudentem providentiam rationalis personae perti-
net, non admittere falsitatem, & deceptionem in pro-
pria natura, quando facile praeueniri, & cauere po-
test, per unionem autem facta est humanitas vere ac
propriè natura Verbi Dei; & Verbum, quod est per-
sona illius naturae, potest illam ita dirigere & guber-
nare, ut nunquam decipiatur. ergo. Secundo quia
in errore aut falsitate nulla potest esse ratio boni ho-
nesti, neque ad illud potest conferre: sed Deus non
potest in propria natura admittere, nisi quod hone-
stum est, vel ad honestum confert: qua ratione uti-
tur Anselmus supra. Tercio, quia talis error, si esset
possibilis in diuina persona ratione assumptae natu-
rae, multum diminueret auctoritatem talis personae,
per assumptam naturam loquentis. Si enim ex hoc
solum, quod is, qui loquitur, est persona diuina, non
intrinsecè sequitur, ipsum nec decipi posse, nec de-
cipere, etiam sine peccato, fere non haberet Deus
homo maiorem auctoritatem in loquendo, quam
homo purus, quia vterque decipi posset, nisi ex di-
uina relatione loqueretur, & vterque posset illa ca-
rere, & decipi, etiam sine culpa, existimando verum
esse, quod non est, seu à Deo reuelari, quod vera re-
uelatione ostensum non est: Consequens autem vi-
detur valde absurdum.

Christus de
potest er-
tam ablo-
luta falsi,
errare ve
non potuit.

Anselm.

Vtrum in anima Christi fuerint habitus intelle-
ctuales.

Hæc quaestio ex dictis facile defini potest, nam
ex actibus facile est habitus colligere: sicut er-
go actum in naturalem, & supernaturalem distinxi-
mus, ita pari ratione potest distinguui habitus.

Dico ergo primo, in Christi intellectu fuisse ha-
bitus naturales. Hæc conclusio certa est apud Theo-
logos, in 3. distinct. 14. & patet etiam ex dicendis
disputatione sequenti, & infra etiam quaestio duo-
decima. Nunc solum aduerto primo, simpliciter
loquendo, non esse certius, esse habitus naturales
in intellectu Christi, quam aliorum hominum, quia
hoc nullo modo reuelatum est de Christo, & pen-
det ex principio generali de omnibus hominibus,
non omnino certo. Si quis tamen hos habitus in a-
lijs hominibus admitteret, in Christo autem nega-
ret, certè & reuerentius esset, & inspectus in hunc,
& hoc modo intelligo conclusionem esse certam sup-
posito, scilicet, principio philosophico, non solum
probabiliore, sed fere euidenti. Secundo aduerto,
nomine habituum comprehendendi hoc loco, tam
species intelligibiles, quam habitus scientiarum at-
que omne id (quidquid illud est) quod in intelle-
ctu manet per modum actus primi, & est princi-
pium recordationis, seu memoriae, & redditur nam
facilem, & promptum ad naturales actus scientiae.
Quoniam enim de his variè versantur opinio-
nes, tamen in genere, quod aliquid sit in intelle-
ctu permanens per modum habitus, quo intelle-
ctualis memoria generetur, fere nullus dubitat: ne-
gari autem non potest, quin in anima Christi fue-
rit memoria intellectualis. Est enim hæc naturalis
proprietas, & facultas animæ rationalis, & osten-
sum est ex definitionibus fidei, fuisse in anima Chri-
sti omnes proprietates naturales humanitatis; fuit
ergo in illa intellectualis memoria. Item hæc facul-
tas, & usus eius, spectat ad perfectionem prudentiae
humanae, teste Arist. 6. Ethic. cap. 8. ubi ad pruden-
tiam, experientiam requirit, experientiam autem
memoria efficit, ut idem docet 1. Metaph. in princi-
pio. Sic ergo in genere constat esse in intellectu Chri-
sti aliquid permanens per modum habitus natura-
lis. In particulari vero, quid illud fuerit, pendet ex
opinionibus. In eis tamen ita loquendum est de
Christo, sicut de alijs hominibus, ut supra dictum
est quia hoc pertinet ad consummatam humanam
naturae perfectionem, & ita constat, probabilius esse
habere species intelligibiles naturales, & habitus ab
speciebus distinctos, &c.

Dico secundo, etiam est in intellectu Christi ha-
bitus infusus intellectualis: nomine habitus intel-
ligo quodcumque principium actus, quod sit quali-
tas infusa intellectui, & in eo permanens, siue sit per
modum luminis, siue per modum speciei, & siue
habeat actum secundum semper coniunctum, siue
non. Et hoc sensu existimo conclusionem esse ita
certam, ut sit fidei proxima, neque negari possit si-
ne nota erroris. Probatur ex dictis supra de habi-
tuali gratia Christi. Illa enim æque fere generalia
sunt perfectionibus intellectus, siue voluntatis, unde
in locis Scripturæ, quæ de hoc loquuntur, ambe
coniunguntur, ut Isai. 11. Requiescet super eum Spiritus
Domini, Spiritus sapientiae, & intellectus. Vbi verbum,
requiescet, indicat permanentiam per modum habi-
tus. Et Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, plenam gratia &
veritate. Item, quia tam certum est, lumen gloriae
datum esse animæ Christi ad videndum Deum, sicut
ut alijs beatis.

Denique ostensum est, fuisse in anima Christi actus
supernaturalis cognitionis, sed ad efficiendum huius-
modi actus cōnaturalis, & perfectio modo requiritur
habitus,

Habitus
naturalis
in intellectu
Christi.

Habitus
infusus
intellectus
Christi.

habitus, ergo. Cōfirmatur, nam hac ratione in quo-
eunque Sācto est aliqua virtus intellectualis infusa,
curgitur non erit in Christo? Nulla sanē est dubi-
tandi ratio, neq̄ aliquid inuenio, quod contra has
veritates obijciat, quod responsione dignura sit;
quamquam Palud. in 3. d. 13. q. 2. multa in utrāque
partem obijciat. An verò hic habitus sit vnus vel
multiplex, in sequentibus disputabitur.

ARTICVLVS II.

*Virum Christum habuerit scientiam, quam habent
beati vel comprehensores.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non fuerit scientia beatorum vel com-
prehensorum. Scientia enim beatorum est per par-
ticipationem diuini luminis: secundum illud. Psalm. 35. In
lumine tuo videbimus lumen. Sed Christus non habuit lumen
diuinum, tanquam participatum, sed ipsam diuinitatem in
se habuit, substantialiter manentem: secundum illud Colos.
2. In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corpora-
liter. Ergo in Christo non fuit scientia beatorum.

2. Præterea, scientia beatorum eos beatos facit, secun-
dum illud 1o. ad 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, so-
lum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed ho-
mo ille fuit beatus ex hoc ipso, quod fuit Deo vnitus in persona:
secundum illud Psalm. 64. Beatus, quem elegisti & as-
sumpsisti. Non ergo oportet ponere in ipso scientiam beato-
rum.

3. Præterea, scientia duplex homini competit, vna se-
cundum suam naturam, alia supra naturam. Scientia au-
tem beatorum, que in diuina visione consistit, non est se-
cundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo
autem fuit alia supernaturalis scientia multo altior, scilicet,
scientia diuina. Non ergo oportuit in Christo esse scientiam
beatorum.

Sed contra, scientia beatorum in Dei cognitione consistit.
Sed ipse plenè cognouit Deum, etiam secundum quod homo:
secundum illud 1o. ad 8. Scio eum, & sermonem eius seruo. Ergo
in Christo fuit scientia beatorum.

Respondeo dicendum, quod illud, quod est in potentia, re-
ducitur in actum per id, quod est actus: oportet enim esse cali-
dum id, per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad
scientiam beatorum, que in Dei visione consistit, & ad eam
ordinatur, sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax
illius beate cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei. Ad
hunc autem finem beatitudinis homines reducantur per
Christi humanitatem, secundum illud Hebræorum 2. Dece-
bat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui mul-
tos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per
passionem consummari. Et idè oportuit, quod cognitio
beata in Dei visione consistens, excellentissime Christo homi-
ni conueniret: quia semper causam oportet esse potiori cau-
sato.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinitas vnita est hu-
manitati Christi secundum personam, non secundum essen-
tiam vel naturam, sed cum vnitate persone remanet distinctio
naturarum. Et ideo anima Christi, que est pars humana na-
tura, per aliquod lumen participationis à natura diuina, per-
fecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam vi-
detur.

Ad secundum dicendum, quod ex ipsa vnione homo ille est
beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus. Sed præ-
ter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Chri-
sti esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima ei-
us in ultimo fine humana natura constitueretur.

Ad tertium dicendum, quod visio, seu scientia beata, est
quodammodo supra naturam animæ rationalis, in quan-

A tum, scilicet, propria virtute ad eam peruenire non potest. A-
lio verò modo est secundum naturam ipsius, in quantum, sci-
licet, secundum naturam suam est capax eius, prout, scilicet,
est ad imaginem Dei facta, vt supra dictum est*. Sed scientia
increata, est omnibus modis supra naturam animæ hu-
manæ.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

Affirmat D. Thomas, & probat, quia Christus est
alijs beatitudinis causa, multo ergo magis eam
habuit. Quæ ratio, est moralis demonstratio, non
metaphysica: & ideo difficultas, quam Caietanus
mouet, necessaria non est, quamvis quæ occasione
illius dicit, & quæ notat in solutione ad tertium, vti-
lia sint, omnia tamen clara.

ARTICVLVS III.

*Virum Christum habuerit scientiam inditam vel in-
fusam.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non sit alia scientia indita, vel infu-
sa, præter scientiam beatam. Omnis enim a-
lia scientia comparatur ad scientiam bea-
tam, sicut imperfectum ad perfectum. Sed
presente cognitione perfecta, excluditur cognitio imperfecta,
sicut manifesta visio faciei excludit enigmaticam visionem fi-
dei, vt patet 1. Corinth. 13. Cum igitur in Christo fuerit scien-
tia beata (vt dictum est*) videtur, quod non potuerit in eo in-
esse alia scientia indita.

66.

Infr. q. 12. a.

1. cor. 13. d.

14. 1. 1. q. 5.

Et ver. q. 10.

a. 2. c. fin. &

a. 3. c. opus.

9. c. 223. &

op. 2. q. 81.

Art. præc.

2. Præterea, imperfectior modus cognitionis disponit ad
perfectiorem, sicut opinio, que est per syllogismum dialecticum,
disponit ad scientiam, que est per syllogismum demonstrati-
uum. Habita autem perfectione, non est ulterius necessaria dis-
positio; sicut habito termino, non est necessarius motus. Cum
ergo cognitio quacunque alia crata comparatur ad cognitio-
nem beatam, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut dispo-
sitio ad terminum, videtur, quod cum Christus habuerit cogni-
tionem beatam, quod non fuit ei necessarium, habere aliam
cognitionem.

3. Præterea, Sicut materia corporalis est in potentia ad
formam sensibilem, ita intellectus possibilis, est in potentia ad
formam intelligibilem. Sed materia corporalis non potest si-
mul recipere duas formas sensibiles, vnā perfectiorem, &
aliā minus perfectam: ergo neque anima potest simul recipere
duplicem scientiam, vnā perfectiorem, & aliā minus
perfectam: & sic idem, quod prius.

Sed contra est, quod dicitur Coloss. 2. quod in Christo sunt
omnes thesauri sapientie & scientie absconditi.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est*, decebat, Ar. 1. huius
vt natura humana assumpta à Verbo Dei, imperfecta non es-
set. Omne autem, quod est in potentia, est imperfectum, nisi re-
ducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in
potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum
per species intelligibiles, que sunt quadam forme completius
ipsius, vt patet ex his, que dicuntur in tercio de Anima*. Et id-
eo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum
per Verbum Dei, anima Christi sibi personaliter vnita, impres-
sa sunt species intelligibiles ad omnia, ad que intellectus possi-
bilis est in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impressæ
sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creatio-
nis: vt patet per Augustin. 2. super Genes. ad litem.
Et ideo, sicut in Angelis, secundum eundem Augusti-
num*, ponitur duplex cognitio (vna scilicet, maritima, per
quam cognoscunt res in Verbo: & alia vespertina, per quam
cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas) ita

Ar. 1. huius

vt natura humana assumpta à Verbo Dei, imperfecta non es-

set. Omne autem, quod est in potentia, est imperfectum, nisi re-

ducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in

potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum

per species intelligibiles, que sunt quadam forme completius

ipsius, vt patet ex his, que dicuntur in tercio de Anima*.

Et id-
eo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum

per Verbum Dei, anima Christi sibi personaliter vnita, impres-

sa sunt species intelligibiles ad omnia, ad que intellectus possi-

bilis est in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impressæ

sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creatio-

nis: vt patet per Augustin. 2. super Genes. ad litem.

Et ideo, sicut in Angelis, secundum eundem Augusti-

num*, ponitur duplex cognitio (vna scilicet, maritima, per

quam cognoscunt res in Verbo: & alia vespertina, per quam

cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas) ita

ita

Mm 4

præter

Lib. 3. 2. 12.

18 tom. 2.

Lib. 2. c. 8.

tom. 3.

L. 11. de ci-

uit. Dei 1. 7.

d. medio. 10.

5. Et 1. 4. su-

per Gen. 2.

24 tom. 3.